

aut eandem per canalem quemdam Eubusasticum (d) in cor Sabbathaticum derivare conatur, is quidem fundamentum dogmaticum fidei à priori & directè non destruit, à posteriori tamen, quando sibi ipsi viam deveniendi ad consistentiam in hoc fundamento præstendit, sese à fundamento excludit, & viâ salutis excidit, quò spectat Judæorum zelus in applicatione medicorum justificationis aberrantium, seque ipsos salute excludentium. Rom. 9. 31. 32. Gal. 5. 4. Quanto magis is, qui communia conversionis conditiones repudiat, salutis naufragium facit?

[(a) Bellarmin lib. 4. de Grat. & Lib. arb. cap. 15. col. 656 (b) lib. 1. cap. 14. col. 515 lib. 6. cap. 14. col. 799. (c) lib. 5. de justific. cap. 22. col. 1130. (d) Weigel. libell. Diss. pag. 12, 13. seqq.]

Verè conversus non ignorat, neq; negat verè conversionis causas.

VIII. Qui jam conversus est, non potest ignorare, nec nisi à veritate negare causas & modum causandi in conversione, quum sensus interius hujus rei argumentum suppeditet omni testimonio majus, & unctio non possit non de se ipsa testari. Job. 2, 27. Quà etiam in causâ Apostolus ad ipsam Galatarum conscientiam appellat, cap. 3, 2. Neq; tamen judicium de causis vel modo conversionis, ex sensu cujusq; sed ex promissionibus Verbi divini faciendum est. Soli individuo converso sensus ille argumento est, se gratiæ divinæ, per verbum agentis, efficaciam conversum esse, ut si illud neget, pro renato nequaquam habendus sit.

CAPUT PRIMUM.

DE CONVERSIONIS NATURA.

Synopsus:

1. Conversionis descriptio, 2. vox, 3. latitudo, 4. Bellarmini falsa definitio. 5. Calumnia in Concilio Arausicano II. 6. Calvinianorum inepta opinio: 7. Arminiana conversionis definitio. 8. Pborimiana 9. Weigeliana. 10. Refert causas & gradus conversionis rectè scire. II. Modi extraordinarij conversionis.

Conversionis descriptio.

I. Est autem Conversio (a) mutatio in hominis (b) intellectu, (c) voluntate, (d) & appetitu, (e) à spiritu sancto (f) per verbum (g) excitata, quâ homini vires conferuntur, quibus potest (b) intelligere, (i) assentiri, (k) credere, & (l) obsequi, & quibus (m) actu intelligit, assentitur, credit & obsequitur in iis, quæ ad salutem scitu creditu & factu necessaria sunt,

[(a) Jer.